

32  
: שולח  
DE

# ANIMA

*Disputatio Tertia & Ultima,*

Exhibens duas ejus Facultates;

INTELLECTUM & VOLUNTATEM,

*Quam*

*Permissa Ampliss. Facult. Philosoph.*

In Regia Pomeranorum Academia,

PRÆSIDE,

M. NICOLAO GRUBB,

Umens. Sveco,

*Publico Eruditorum examine*

*exponis,*

CAROLUS Bidegreen /

Stockholm. Svecus.

D. 23. Martii MDCCIX.

*Printed and Sold by DANIEL BENJAMIN STARCK, at the University of Gryphens, in the City of Gryphenswald.*

GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,

Reg. Academ. Typogr.



Til den  
Ehrborne och Högachtade/  
Herrn

**Wans Gehrson Widegreen/**

Handelsmannen och Inwånaren i Stockholm

**Min Högtåhrade käre Fader**

**E**t Band med hwilket först Naturen hafwer bunnit  
En Faders kärlek och en Sonlig wördnad heop/  
Från första lindan / ja! och första barna roop/  
Den samma wördnads eld i mig har äfwen brunnit.

Ly näst at lifwet mitt jag Edra länder skrifwer/  
Sin Ursprungis första root/ Herr Farkår bringar jag  
Min wördnad äfwen fram / och veder gunstigt tag  
Emot hwad offras här/ den Förstling jag nu gifwer.

Och tänck at ingen ting jag uthan Eder dristat/  
Herr Farkår/ I har giort at jag nu wijsa kan/  
Hwad sötma man uthaf the Lårdas boning wan/  
Ifrå den tiden jag i theras lunder wistat.

Ly haf och ewigt Tack för redan hafder möda:  
Och trottas hädan äth eij heller wiid er Son/  
Så skal en ödmjuk Siäl sig räckna det för mohn/  
En kärlig wördnads eld och lydna af sig föda.

Hwar med jag förblifwer

Eder lydigaste Son i Döden

**CARL Widegreen.**



SECTIO PRIOR.

De  
Intellectu.

§. I.



Ere si unquam Anglorum Medicus famigeratissimus *Thomas Willis* de studio hominum in inquirenda re inpervestigabili, dixit *Tract. de Anima brutorum, Part. I. Cap. I.* ab initio: *Quibus illecebris & quanto supra res alias lenocinio hominum ingenia ad se alliciat & profundissime exerceat anima contemplatio, vel exinde constat, quod ferè nulli cujusque seculi aut seculæ extiterunt Philosophi, qui hujus scrutinio non insudarunt.* Quod hic *Willisius* de anima generatim asserit id pari jure nos de ejus facultatibus speciatim dicere possumus. Quotusquisque enim est, qui Philosophi nomen tueri cupit, qui non in perscrutandis animæ facultatibus, harumque inter se mutua habitudine laboravit? adeo, ut in enumerandis illis, qui tam ex antiquis quam recentioribus ex professo hac de re disseruerunt, tempus & chartam inutiliter consumeremus. Verum utut animæ facultates cognitu multo sint faciliores, quam ipsa anima, utpote quarum effectus, quotidie intra nos experimur; interim non sine ratione eandem hic movere possumus querelam, quam habet laudatus *Willisius d. l.* de anima, illas nempe tam atra caligine obscuratas & orci ferè tenebris involutas, ut abstrusam heic eruere veritatem arduum omnino sit. Circumferuntur enim de his incertæ ubique & pugnantes opiniones, ut tot ferè de illis diversæ extent sententiæ quot homines.

A

§. II. Porro,



§. II.

Porro, huic cum labori me accingerem tantam dicendorum copiam ac multitudinem inveni, ut obrutum me plane sentirem, si omnia quæ hic dici scribiqve possent exacte persequerer. Selectum itaque instituire constitui, ut illa tantum quæ circa considerationem intellectus & voluntatis scitu maxime digna & necessaria occurrunt, nostra complectatur oratio. Et quia hæc animæ potentias unusquisq; intra se optime experitur, satius existimamus illarum naturam ex seipso & propria addiscere experientia, quam ex Scriptis aliorum; quæ tamen non plane negligi volumus, cum illa nobis aliquando suppeditent occasionem majori cum cura ac sollicitudine, illa intra nosmet ipsos observare, quæ alias non attenderemus. Medium tamen hic teneri volumus inter religionem antiquitatis & libertatem novitatis, ne incidamus in scyllam cupientes vitare charybdin. Præeunte itaque natura & occasionem suppeditantibus potentias animæ pervestigandi, Clarissimis Scriptoribus, præcipua consideratu digna de intellectu & voluntate edisseremus.

§. III.

Ut autem ab intellectu incipiam, dum hujus considerationem ingredior, tam stupenda, summaque admiratione digna hic animadverto, ut mirari subeat, dari posse in rerum natura Atheos, qui si non aliunde, ex hujus saltem consideratione, si illum, in seipso conversi, penitus introspicere voluerit, sui erroris convinci possent. Certe rem immaterialem, ideas rerum materialium percipere à rebusque corporeis affici & corpus iterum afficere posse, ita ut juxta diversas animæ cogi-

cogi-



cogitationes, peculiare in corpore motus, producuntur, & vicissim juxta certos in corpore motus peculiare in anima excitentur ideæ, propensiones & affectus humana quidem ratio vix crederet, nisi hac de re à posteriori per experientiam infallibiliter convinceretur. Scio inter Philosophos agitari quæstionem de productione idearum in mente humana, quarum varias & discrepantes opiniones hic recensere supervacaneum existimo, cum nihil nisi notionum detorsiones, aut allegoariarum cumulos, nobis hoc in negotio reliquerint. In illa præterea versor sententia, quod rationi humanæ plane impervium sit investigare, quomodo objecta extra nos existentia, sui similes vel dissimiles ideas in animo excitare queant, adeoque hoc inter illa numerandum esse videtur, quæ experientia jubet credere, obtusa vero mentis nostræ acies, nescire. Recte enim *Dn. Buddeus* Phil. instr. par. I. c. I. §. 8. *De origine idearum, inquit, quidquid etiam Philosophi disputent, nihil certi affirmari potest. Hoc certum exploratumque est, quidquid menti nostræ obversatur, id ei se offerre post perceptionem sensuum, aut meditationem mentis, seu hæc cause idearum, seu tantum occasiones sint.* Quamdiu enim verum, genuinum ac positivum Spiritus conceptum nobis formare, conjunctionemque hujus spiritus cum corpore intelligere non valemus, tamdiu etiam impossibile erit, idearum productionem & originem penetrare, prima vero regula sapientiæ est: *impossibilia non sunt petenda.* Contra quam peccasse videntur acutissimi ceterà Philosophi *Petrus Poiret & Job. Lockius.* *non autem* *§. IV.* Relictis itaque illis quæ per naturam sciri nequeunt,



unt, ad illa quæ nobis sunt notiora & ad quæ nos quasi manuducit natura perpendenda progredimur. Dum vero ad intellectus naturam expendendam nos convertimus occurrit primo consideratio intellectus puri. Notum namque est distinguere aliquos inter facultates animæ puras & mixtas: illas dicunt, quando anima citra omne corporis commercium & tanquam Spiritus purus operatur; ad quas referunt *intellectum purum, voluntatem puram & memoriam mentalem*, quibus totidem respondere ajunt facultates mixtas, sensuales alias dictas, *phantasiam nempe, appetitum sensitivum & memoriam sensualem*; in horum censum referendus quoque est *Dn. Buddeus*, qui in *Ethica* Cap. 2. Sect. I. §. 5. hoc super negotio sequentem in modum, philosophatur. *Dum porro mentem considero, varias in ea deprehendo potentias sive facultates, ex operationibus metiendas. Has enim qui accuratius secum expendit, intelliget eam quandoque pure & sine corporis commercio operari, aliquando autem organis corporeis spiritibus scilicet animalibus uti. Hinc due facultates primariæ constitui solent, quorum puram alteram, alteram mixtam dixeris. Et de intellectu porro Idem in exercitatione de cultura ingenii c. I. §. 8. p. m. 303. Sic loquitur: Intellectu etiam gaudemus, tum puro, tum spiritibus animalibus utente, sive impuro, ad quæm imaginativa vis, cum memoria sensuali spectat.*

*§. V. SUMMIS VISIONIBUS*  
 Hæc doctrina primo intuitu haud parum se commendare videtur, cum obiter eam intuentibus admodum plausibilis appareat; Verum si illam exactius examinemus, non videtur omni dubio carere. Clarioribus omnino indiciis, ac solidioribus argumentis istæ facultates puræ evinci debuissent, cum hic neutiquam



quam valeat nuda assertio, nam & ego facultates mentis meæ, pro modulo ingenii expendi, nec tamen hactenus aliquas ita puras depræhendere potui, quales *Dn. Buddeus* docet. Rationes dubitandi de puræ mentis in corpore operatione hæ præcipuè sunt:

1. Quod anima tam arcto corpori alligata sit vinculo, ut ad omnes operationes, utraqve hominis pars concurrat, quamvis diverso modo, ut adeo istæ operationes toti composito adscribi debeant, non parti, sic dicimus: homo meditatur, vult, recordatur, non anima hominis. Qui hoc dubium tollere vult, debet in anima aliquam producere operationem, de qua dicere possum, quod sit actio animæ non hominis, quam ego quidem esse actionem non dabilem hactenus affirmare sustineo.

2. Quod nullam in operationibus animæ inveniam differentiam subjectivam, sed tantum objectivam, seu quæ ab objecto petitur. Nam utut meditatio mentis aliquando occupetur circa considerationem rerum immaterialium & universalium, non minus tamen ad hanc operationem intellectus, requiruntur organa corporis & ministerium spirituum animalium, quam ad speculationem rerum materialium & singularium, siquidem percipio mentem meam non alio modo operari in contemplatione illarum, quam harum. Contemplando namque ideas five rerum materialium, five immaterialium, secundum tres operationes logicorum, illas vel simpliciter apprehendit, vel componit ac sejungit, vel tertiam assumit, ut priorum evidentior evadat comparatio, quod ratiocinationem vocant *Logici*.



3. Quia in assidua meditatione rerum etiam spiri-  
tualium & universalium, deprehendimus cerebrum  
nostrum fatigari, ut quemvis sua docebit experientia;  
verosimile admodum est ad hos labores aliquo modo  
concurrere etiam cerebrum & imprimis spiritus ani-  
males. Fatigatio enim est affectio corporis, non spi-  
ritus, quia si solus huic actioni incumberet, corpus inte-  
rea quiescens, nullam exinde sentire posset incommo-  
ditatem.

4. Si intellectus aliquando purus absque commer-  
cio corporis operaretur, omnes omnino homines in  
consideratione objectorum puri nostri intellectus, æque  
felices & expediti essent, intellectus enim in se spectatus  
verosimiliter una eademque potentia, & æque acuta in  
omnibus est. Quod quoque ex Veteribus observavit  
Hippocrates Lib. I. de Diæt. §. 21. *Anima, inquit,  
eadem est in omnibus hominibus, corpus tamen uniuscujusque  
differt, anima semper sibi similis est, & in majore & minore  
non alteratur neque per naturam, neque per necessitatem, corpus  
autem nunquam idem in ullo aliquo est, neque secundum natu-  
ram, neque ex necessitate, propterea quod partim secernatur in  
omnia, partim misceatur ad omnia, & porro magni refert,  
quæ in corpore animi locati sunt, multa enim in corpore existunt,  
quæ acuum mentem, multa quæ obtundunt. Eandem quoque  
fovit mentem ex recentioribus Thomas Willisius, Tr. de  
Anima Brutorum p. m. 39. circa finem. Quod unius,  
inquit, hominis mens plura intelligit ac melius ratiocinatur quam  
alterius, non inde sequitur animas rationales inæquales esse,  
verum omnis circa intellectionem disparitas, immediate à phan-  
tasia, mediate & principaliter à cerebro varie disposito procedit.*  
Sed observamus magnam in diversis hominibus, circa  
diju-



dijudicationem rerum qualiumcunque discrepantiam, quæ, uti laudati auctores mecum consentiunt, non ab anima, quæ in omnibus eadem est, proficiscitur, sed à varia corporis dispositione & temperatura, præcipue sanguinis & spirituum animalium in glandulosa, seu corticali cerebri substantia, è sanguine generatorum. Cum itaque jam tota die videamus, unum tam acri pollere mentis acie ingeniique felicitate, ut quævis obvia materialia, vel immaterialia particularia, vel universalia, & in his difficillima, maximeque intricata pari promptitudine expedire & ab invicem fecernere possit; alterum vicissim, magna in omnibus omnino rebus laborare intellectus stupiditate ac segnitie, ut ad omnia percipienda ac intelligenda prorsus sit inidoneus; fieri neutiqvam potest, ut intellectus purus absque commercio corporis aliquando operetur, in tali enim casu magnam in stupidioribus cerneremus differentiam, operationis intellectus puri & mixti quam tamen nemo in hunc usque diem observavit.

5. Si anima aliquando pura absque interventu spirituum animalium operaretur, magnam & admodum sensibilem in omnibus hominibus experiremur differentiam circa operationes animæ puras & impuras seu mixtas, cum admodum persuasus sim, animam puram multo nobiliores ac perfectiores edere posse operationes, quam cum corporis contagio aliquo modo impeditur. Nullus enim dubito, quin anima à corporis vinculis liberata, abstrahendo à statu beatitudinis, vel condemnationis, multo majores ac excellentiores possideat qualitates naturales, quam in hoc statu, quod duplici ratione probari posse videtur. (1) quod  
pro



pro diversa constitutione sanguinis, diversas obser-  
 vemus in diversis animi dotes; pollet cholericus in-  
 genio acuto propter subtiliores partes sulphureas in  
 sanguine prædominantes; stupidus est melancholi-  
 cus, propter crassiores partes terrestres, quæ præ-  
 cipuam purpureæ massæ partem constituunt, ex qui-  
 bus etiam crassior & segnior succus nervosus elabora-  
 tur in cerebri glandulis, qui ad animæ ratiocinantis  
 ministeria exequenda, non tam promptus paratus  
 ac expeditus est atque in cholericis. Ut taceam va-  
 riam organorum configurationem, quæ hic omnino  
 considerari quoque meretur. Hinc jam colligo, par-  
 tes corporeas in cholericis operationi animæ inservien-  
 tes, ejus actiones quamvis non exactissima prompti-  
 tudine, promptius tamen quam in Melancholico, ex-  
 sequi, unde iterum per pronam consequentiam sequi  
 videtur, quod si anima, ab omni penitus materiæ com-  
 mercio ac contagione liberata fuerit, multo prom-  
 ptius expeditiusque hæc suas functiones sit expe-  
 ditura. Confirmat me in hæc meditatione (2) quod  
 illi spiritus qui non servarunt dominationes suas, cum  
 quibus hominis anima eandem possidere verosimiliter  
 videtur naturam cum æque sit Spiritus, quamvis mo-  
 raliter penitus depravati sint per lapsum suum, natu-  
 ralem tamen sagacitatem non exiguam retinuerint.  
 Unde iterum colligo, quod si anima in æquali cum  
 illis fuerit statu, h. e. pura & à corpore separata, eas-  
 dem quoque possidere deberet perfectiones naturales.  
 His ita positis si anima in corpore pure aliquando age-  
 ret, perfectius omnino suo fungeretur officio quam  
 cum una cum corpore operaretur, quod si fieri, non  
 pos-



possemus non illud animadvertere, quod tamen hactenus non factum est.

§. VI.

Quia vero laudatus Buddeus, aliiqve cum illo, non tantum intellectum purum in hominibus admittunt, sed & voluntatem puram ac memoriam mentalem ipsis insuper assignent, hac occasione & hacce ultimas subruere conabimur. Voluntatem itaque quod attinet, deprehendimus itidem hanc in anima pura omnibus hominibus unam eandemque esse, cum in spiritu puro nulla disparitatis ratio appareat. Si vero voluntatem hominum examinemus, tantam in illa observamus disparitatem, ut admodum raro duos inveniamus homines, quorum voluntates in omnibus conspirant, videmus quotidie unum tanquam bonum appetere, quod alter ceu malum respuit & averfatur.

§. VII.

De memoria mentali idem esto iudicium. Nam utut lubens fatear spiritus puros rerum anteaclarum retinere cognitionem, modum tamen penitus ignoro, & nullam hactenus inter memoriam mentalem & sensualem in homine percepi differentiam, nec ullum existimo produci posse exemplum memoriae mentalis, quod non referri potest ad memoriam sensualem. Utrum enim vel quomodo anima hominis separata status pristini memoriam retineat, jam omnino ignoro & futuræ experientiae reservare debeo. Donec itaque hæ rationes stringentibus argumentis destruantur, nos dubitare volumus, an dentur aliquæ in homine facultates puræ: interim unumquemque suo abundare sensu pro liberalitate nostra permittimus.

B

§. VIII.



§. VIII.

Verum enim vero, quamvis haecenus facultates animæ puras profligaverimus, nihilominus distinctionem istam inter facultates puras & impuras retinere nos posse existimamus, modo sane interpretetur, ita, ut denominatio non desumatur à strictissimo operandi modo, sed à strictiori tantum, h. e. ab objecto. Tum dicimus quatenus facultates hæ versantur circa spiritualia & universalia, eatenus dici possunt puræ, cum occupentur in consideratione rerum immaterialium, quæ respectu materialium puræ sunt, ad quarum contemplationem, comparative non tantum concurrat ministerium corporis, atque ad considerationem objectorum materialium & singularium, in qua cum occupatæ sunt facultates animæ, dicuntur mixtæ seu impuræ, cum in tali negotio præter contemplationem intellectus, semper concurrat peculiaris objectorum singularium repræsentatio in phantasia.

§. IX.

Circa intellectum purum, qui res spirituales ac immateriales concipit, hoc observandum est, quod nunquam vel admodum raro veram objectorum suorum ideam enti extra mentem existenti similem, sibi formare queat. Nisi enim certis argumentis & experientia edocti essemus, dari substantias in rerum natura omni extensione destitutas, & tamen verè existentes, difficulter admodum induci possemus, ut crederemus tales revera dari, cum omnem rerum realitatem, ex præjudicio infantia, in extensione collocemus, ita ut omnia extra illam pro nihilo reputemus. Inde quoque factum est, quod multi animas & spiritus puros omni  
 prorsus



prorsus extensione carere negent, vel saltim an careant, dubitent. Cujus rei duplex ratio esse videtur, (1) quod hæc nostra anima materiæ tota sit immersa, ut absque ejus communionem nihil operari queat, (2) quod ab illo usque die quo primam hausimus auram, sensus, qui totidem sunt januæ, per quas omnis nostra cognitio intellectum subintrat, rerum solummodo materialium imagines ad phantasiam & sic porro ad intellectum transmittant, qui harum contemplatione continuo occupatus, talem realitatis & existentia sibi format exinde conceptum, ut præter has res, quibus solis à teneris assuetus est, nihil in natura existere credat. Et probabili omnino conjectura suspicari licet, quod si anima à primo creationis suæ momento mansisset pura, nec ullo corpori inclusa & tum ita spiritualium objectorum contemplationi assuefacta fuisset, uti jam corporalium, æquè paradoxum ipsi visum fuerit, dari posse in rerum natura substantias, quæ secundum trinam dimensionem essent extensæ, atque jam ipsi mirum videtur dari posse essentias, omni dimensione carentes. Scio equidem aliquos, ad hoc naturæ vitium, quo in consideratione rerum spiritualium laboramus, corrigendum, tale suppeditare consilium, ut sensim homo assuescat, sensus & meditationes suas à rerum corporalium imaginibus lustrandis avertere, mentemque immaterialium & præcipue spiritualium consideratione pascere, quo fieri ajunt, ut anima quamvis à corporis commercio, non plane liberetur, multo tamen purior, & à spirituum animalium cooperatione liberior evadat, & sic magis idonea fiat, ad spiritos puros concipiendos, quorum tum constitutionem si non adæquate



secundum omnes numeros percipere intellectum, aliqualem tamen ejus sibi formare posse ideam arbitrantur. Ad hanc suam hypothesein statuminandam provocare solent ad experientiam; Verum cum hanc ego penes me adhuc desiderem, quid de hac opinione sentiendum sit, penes Eruditiores esto judicium.

§. X.

De universalibus quæ etiam ad intellectum purum spectant ita sentio, quemadmodum in Disp. 2. Sect. 1. §. 7. exposui, idearum nimirum, quas sibi de illis format intellectus, nusquam in rerum natura aliquod existere archetypon aut exemplar. Propter infirmitatem suam intellectus à singularibus abstrahendo, hæc concipit, dum universalem sibi format ideam, de omnibus individuis & speciebus ejusdem generis ut eo melius res ignotas per notiores describere, & ab aliis descriptas intelligere, ut & compendiosius res ipse cognoscere queat, quapropter etiam Logici in omni definitione requirunt, ut genus semper sit latius sua specie, alias ignotum per æque ignotum describeretur. De his universalibus clare & perspicue agit Petr. Poiret. *Cogit. Ration. Lib. 2. Cap. 4. §. 18. n. 14. pag. 109.* Cujus verba quia peregrina sunt B. L. illa communicare placet. *Dum ita, inquit, abstrabo ideam generalissimam & universalem, quid ago? an ideo sequitur, quod existat in rerum natura unum subjectum precise illi idee substantiæ correspondens? Chimericum hoc esset. Existunt equidem subjecta infinita, quæ sunt substantia: at non existunt sub forma illa generali unius substantiæ, sed sub singularibus diversissimisque formis circumstantiatis hujus illius cogitantis vel extensæ rei, b. e. sub formis substantiarum particularium, à quarum ideis singularibus, dum generalius unius*



unius substantie ideam abstraho, opitutor ita, ut dixi intellectui &c. Quod ista abstractio fiat propter imperfectionem intellectus pari perspicuitate ostendit, l. c. n. 8. 9. pag. 108. quando dicit: *Ex notionibus generalibus, vel ex abstractis conceptibus, nihil sequitur quoad existentiam, nisi actualis imperfectio intellectus concipientis, quod sic procedit. Idea universalis, vel conceptus rerum abstractissimi, sunt cogitationes, vel actus singulares intellectus hujus vel illius hominis, puta Petri, Pauli: Ergo datis conceptibus abstractis & universalibus, sequitur dari intellectum aliquem concipientem: At si ille intellectus concipiens perfectissimus esset & infinitus, haberet perfectas & infinitas infinitarum, quæ essent singularium rerum ideas, ergo ille intellectus non conciperet universaliter & abstracte, quod tamen facit. Ergo finitus & imperfectus est, ergo ex conceptibus abstractis, quæ tales sunt, nil de rebus quoad existentiam singularem sequitur, nisi existere singularem aliquem intellectum, qui imperfectus & finitus est.*

S. XI.

Pergo ad intellectum impurum seu mixtum, ad quem referimus sensus internos, qui vulgo tres numerantur. *MEMORIA, PHANTASIA ET SENSUS COMMUNIS.* Dicuntur hæc alias sensiones, quæ diligenter distingvendæ sunt à sensibus externis, qui sunt tantum organa intellectus, per quæ objecta deferuntur ad animam; sensiones vero sunt, actus proprii intellectus, cum in his concurrat & delineatio objectorum in phantasia per imagines, & actio intellectus contemplantis varieq; disponentis hæc ideas. Dissentiunt equidem Philosophi, in numero horum sensuum internorum constituendo, dum alii plures, alii pauciores quam tres recensent. Hanc rem sequentibus exposuit verbis *Job. Bohnius in*



*Circulo Anatomico-Physiologico Progynasm. 28. pag. 455. In numero horum sensuum immanentium determinando, baud inter omnes convenit, nam quisque eorum pro lubitu fingit, auget ac minuit. Alii ad binarium restringunt, alii ad quinarium, imo forsitan senarium extendunt, illi nihilominus rationi maxime congruè agere videntur, qui unum, eumque sensum primarium sibi concipiunt quatenus non tantum una eademque anima est, quæ cunctis illis facultatibus, quas vulgo ut totidem sensus distinguunt, præest, sed idem quoque illa objectum nimirum cuncta sensibilia ut talia, respicit, neque ulla instrumentorum disparitas distinctis bis limites constituit. Et quando vulgo, ut omnium frequentissime fit, disspescuntur in sensum communem, phantasiam & memoriam, ita ut sensus communis sit pars illa sensationis activa, quæ species à sensoriis externis exceptas apprehendit ac dignoscit. Imaginatio quæ species tam per sensoria adductas, quam absentes & à se formatas diutius retinet, dijudicat, componit, dividit, ac demum memoria, quæ easdem à phantasia traditas conservat, ac suo tempore depromit, sane accidentalis ac relativa quædam functiones has intercedit differentia, minime tamen formalis, & per quam specie distinctos pronuntiare convenit sensus. Verum quamvis Bohnius argumentis non spernendis hic probare allaboret unicum tantum dari sensum internum, tanti tamen viri auctoritas me permovere nequit, ut à communi ac recepta de tribus sensibus internis doctrina recedam. Præest quidem cunctis hisce facultatibus una eademque anima, sed diversimode in diversis operatur. Ludunt etiam omnes cum imaginibus quæ propter sub imaginationis titulum omnes redigi possunt, sed non eadem ubique concurrunt circumstantiæ, si Bohnius hæc & quæ porro de eadem re differit sub fine, pag. 439. ita intelligi vult, ut quemadmodum generaliter*

raliter



raliter loquendo, unus tantum datur sensus externus, subtilissimus nempe tactus, qui tamen in varias species dividi potest; ita unus tantum fit sensus internus, quem communem vocare possumus, sumta voce in laxiori suo ambitu, qui tamen in tres species inferiores distribui potest, nos consentientes habebit, ideo ut distinctius & clarius omnia intelligantur, retinemus communem distinctionem, qui enim bene distingvit, bene docet.

§. XII.

Ut autem distinctum de trilbus his sensationum speciebus nobis formemus conceptum; sciendum est, illas præcipuè respectum habere ad tria tempora, *præteritum, præsens & futurum*. Circa præsentia versatur sensus communis, qui percipit & intuetur res præsentis repræsentatas in animo nostro per sensus externos, quorum sive quinque, secundum sententiam communem, sive cum aliis qui accuratiores videri amant unum tantum, uti modo diximus, subtilissimum nempe tactum statuas, quem iterum in quinque, vel sex, vel etiam octo species dividunt, nobis quidem jam perinde erit. Ideo laudatus *Bobnius l. c. pag. 436.* hunc sensum communem vocat interstitium seu mediatorem inter sensus internos ac externos, quod ab illis suggestas species, phantasiæ & memoriæ concredat. Hunc porro sensum communem ita describit *D. Christian Vater* in sua *Physiologia Sect. 7. Art. 2. Cap. 9. Th. 27.* *Atque talis in nervis motio, etsi in se quidem unica sit, gradus tamen suos habet, indeq; doctrina gratia in inchoatam & continuatam distinguitur. Quoniam enim principium omnium nervorum commune cerebrum est, & in eo imprimis meditullium, seu centrum ovale Anatomicis dictum, ideo motus omnes, quibuscunq; etiam organis*  
*sense-*



sensoriis externis inducti, concurrunt in centro isto, ubi mens tanquam sensorio communi ad percipienda objecta ista excitatur; quæ primus in cerebrum allapsus, ideo vocatur sensus communis, quamvis in se à motibus sensoriis externis, conjunctim sumtis nihil differat, cum eo ipso, quo motus sensorii ab organis externis ad cerebrum simul deferuntur, in brutis quoque continentur, in homine vero à mente simul percipiuntur. Ex quibus intelligitur sensum communem triplicem involvere actum: primo continuationem motus inchoati spirituum ab objectis per sensus impulsorum ad cerebrum ejusque medullium, ubi idea & imago rei extra nos positæ delineatur, & hunc actum homines communem habent cum brutis, in quibus etiam sensuum simulachra observantur, quibus ideo sensus internos memoriam, phantasiam & sensum communem analogice tantum tribuimus, per quos tum, illos tantum intelligimus actus, qui à materia & organis corporis, structura nempe cerebri dependent. Secundus actus sensus communis, qui hominibus proprius est, complectitur, perceptionem & conscientiam intellectus, coloris, saporis, odoris, sonus, caloris &c. oblatis, tertius actus sensus communis est judicium intellectus de his ideis rerum singularium.

§. XIII.

Quod actum priorem concernit, an corporum sensibilium affectiones, per sensus externos ad sensum communem delatæ, quales sunt in se ipsis, repræsententur, vel an intuitu organorum, horumque mirabilis dispositionis, tales indicent qualitates, quales in sensu communi anima percipit, & ipsa corpora extra nos posita, revera non habent, disputatur inter Philosophos.  
Poste-



Posteriores sententiam defendunt Cartesiani, qui ex varia dispositione particularum, motuque diversimode per illas operante, omnes corporum qualitates, quas nusquam in rerum natura extra hominem existere credunt, deducunt. Quia vero in hac controversia, rationes utrinque satis speciosas jam ad rigorosum vocare examen, nimis prolixum foret, hunc laborem opportuniori occasione reservamus.

§. XIV.

Intelligis ex hactenus dictis, quo respectu illi, qui usu rationis destituuntur, stupidi & stolidi sunt, sensu communi carere dicuntur, quod *Bobnius* minus proprie fieri credit, ego vero non item, qui sensum communem uti & reliquas facultates intellectus mixtas in laxiori significato sumo, quam *Bobnius* aliique, referendo ad illas intellectus operationem in expendendis ideis rerum singularium, quam ad actum tertium sensus communis retulimus. §. XII. Quando igitur dicimus stupidum carere sensu communi, stupiditatem obtusi intellectus illius innuere volumus in rite explorandis ac expendendis his rerum singularium jam presentium imaginibus. Intelligis quoque, jam quid significat ista loquendi formula qua dicimus: statuit vel credit, quod est contra sensum communem, Indigitatur tali loquendi modo, aliquem ita præjudiciis esse occupatum, ut propter horum obstaculum & impedimentum, simplicem & genuinam ectypi in idea præceptionem non apprehendat, quod crassum animi vitium digna reprehensione tum excipimus, cum dicimus illum agere contra sensum communem.

C

§. XV. Dici-



§. XV.

Dicitur hic sensus ideo communis quod (1) quia actum suum primum in §. XII. expressum, quasi centrum fit commune omnium sensuum externorum, qui ibi concurrunt, uti accurate exposuit, quem supra allegavimus *D. Christ. Vater*, cum ait, *motus omnes quibuscumque etiam organis sensorii externis inducti concurrunt in illo centro, ubi mens tanquam sensorio communi ad percipienda objecta ista excitatur.* (2) quod quia actum ejus secundum omnium rerum, quæ homines aliquo modo afficiunt, tam externarum, quam internarum, (quales sunt præcipuè affectum & passionum) perceptiones in comuni hoc medullio intellectui communicantur. (3) quod quia actum suum tertium, qui solus est activus, commune & primum fit incitamentum reliquorum sensuum internorum, ab illo namque tam memoria, quam phantasia originem suam trahit, ita ut nihil sit, nec esse possit in his, quod non prius fuit in sensu communi, uti recte dicit Bohnius, quod suggestas à sensibus externis species memoriæ & phantasiæ concredat. Postquam enim res percepit intellectus, perceptas intellexit, intellectas accurate dijudicavit, tum illas in suas classes redigere incipit, illas vel dividendo, vel componendo, & tertiam atque mixtam sibi formando, quod est opus phantasiæ, vel illas, prout repræsentatæ sunt, memoriæ conservandas mandando, quod proprium hujus officium est, ex qua deinceps, tanquam ex locupletissimo ærario pro re nata per reminiscentiam depromit ideas rerum reconditas.

§. XVI.

Pergo ad descriptionem memoriæ, quæ est altera species

species



species intellectus mixti, & versatur circa præteritum. Cum intellectus repræsentatas antea in sensu communi species & memoriæ demandatas prodire jubet, eodem ordine, serie atq; connexione, vocatur hæc actio memoria. Ut autem distincte procedamus, considerabimus primo, memoriam passive, & deinde active spectatam. Ad illam requirit Dn. Buddæus cerebrum & spiritus animales, certamque utriusque dispositionem, quando eam ex mente philosophorum describit in Ethic. Cap. 2. Sect. 2. §. 88. p. m. 59. seqq. hoc modo; *Spiritus animales cum particulis ab objectis provenientius, per cerebri fibras transeuntes, certa in illis relinquere vestigia, & meatus, quos deinceps iterum longe facilius quam alios ingrediantur. Hinc quo sæpius particula ab objectis provenientes cerebrum intrant, vel quo vehementius spiritus animales concitantur, eo patentiores etiam fieri meatus, per quos processerunt, & ipsas cellulas magis magisque distendi, ut spiritus animales eo facilius deinceps in eos meatus & particulas objecti, qui cerebrum ingressæ in illis velut hospitantur, incidant.* De cerebri constitutione, quatenus hoc ad memoriam modificandam aliquid confert, sic porro philosophatur §. 89. *sed cerebri tamen constitutio plurimum quoque huic confert. Prout enim ejus substantia magis aut minus fuerit fluida, viscosa, sicca, firmitus etiam vestigia hæc illi inhaerebunt aut citius delebuntur.*

§. XVII.

Circa hanc memoriæ passivæ delineationem magnum mihi occurrit dubium, quod etiam à Joh. Clerico observatum esse legi in ejus Pnevmatologia, ubi agit de memoria. Si nimirum hæc consisteret in meatibus & vestigiis cerebri, à spiritibus animalibus impressis, comprehendere non possum, quomodo tot fere infinitarum



tarum rerum impressionem cerebrum capere posset. Verba Clerici *Pneumat. Sect. 1. Cap. 4. §. 13.* sic sonant: *Quin ea memoriae explicatio philosophica sit ingeniosissima, & multis phaenomenis apprime satisfaciat, nervo inficietur, sed duae potissimum difficultates vix ejus hypoteseos ope solvi queant. Prima est non capi, quae ratione omnium eorum, quae memoria mandavimus, quae infinita paene sunt & quotidie augentur, possint certa & distincta in cerebro servari vestigia. Innumera sunt vocabula & phrasae idaeque abstractae & concretae omnium generum, quorum distincte recordamur & quorum omnium si sint distincta in cerebro vestigia, cerebrum nostrum capacius esse vastissima bibliotheca fatendum, quae enim volumina non scriberentur à Viro memoria prestante si omnia quorum meminisset, parva, magna, literis consignasset. Ad memoriam concurrere cerebrum certum atque exploratum est, quia vero exactam ejus anatomicam, haecenus habere non possumus propter nimiam organorum subtilitatem, ceu ipsi fatentur Anatomici, nil certi heic definire audent.*

§. XVIII.

Memoria de qua haecenus egimus corporalis tantum est, quam proinde brutis etiam concedimus, sed quia in illis non compræhendit illa omnia, quæ ad formale memoriæ sensualis requiruntur analogice tantum brutis memoriæ largimur. Ad memoriæ autem sensualem, quæ solis hominibus competit, accedit porro passio quædam animæ, quæ mens humana percipit & sibi conscia est perceptionis rerum absentium ex promptuario memoriæ oblatarum, de qua ita porro pergit Buddeus §. 90. *Passive quidem (mens) se habet, si idæam aut simile objectum cerebro impressum, eandem imaginem, quæ illi oblata fuit, cum prima vice cerebro imprimeretur, illi objiciat.*

Id,



Id, quod tum quoque fieri potest, cum mens nihil minus, quam istud expetit, quin cum serio optat, ut vestigia istius rei plane deleantur & imago nunquam recurrat. Et hoc modo oblivio quoque non ita in nostra posita est potestate, ut semper alicujus rei nobis oblivisci liceat. Hunc memoriae actum non tribuimus bestiis, cum nullam habeant animam rationalem, quæ sola percipere & ita à rebus affici potest, ut hujus affectionis clare ac perspicue sibi conscia sit. Quæ in re præeuntes ac consentientes habemus veteres quosdam magni nominis Philosophos; ita enim *Aristoteles Probl. Sect. II. §. 33.* Sensus ubi ab intelligentia sejunctus est, laborem insensibilem facit. Et *Hippocrates Aphorif. 6. Sect. 2.* Qui parte aliqua corporis dolentes, dolorem non sentiunt iis mens agrotat. Quam sententiam suo quoque dignatur calculo *Plato apud Marsilium Ficinum argum. in Thet. Advertendum*, inquit *Ficinus*, quod *Plato*, nullam corpori cognitionem tribuit, quemadmodum nullam vitam, quod vivit, id sentit, vivit anima, & anima sentit, in corpore autem nec vita, nec sensus, sed vite sensusque opera declarantur, ideo quos sensus quingve alii vocant, ille organa quingve sensus appellari vult, nihilque bis instrumentis sentiri, sed per hos quasi meatus ab una quadam anime vi sentiri singula putat, quem sensum communem vocat, in quem undique è singulis corporis organis ut ad centrum circuli è circumferentia linea varia, passionem influunt.

§. XIX.

Denique ut completa evadat memoria, tertius actus accedere debet, qui est activus, quando intellectus species rerum impressas prodire jubet eodem ordine ac serie, quo per sensus haustæ sunt, eosque in ea connectione considerat ac contemplatur. Hanc ita describit *Dn. Buddeus §. 91.* Active mens circa memoriam versatur rem



attentius considerando, vel saepius eandem imaginem revocando unde fortius eandem cerebro imprimi necesse est. Contra, quarum vult oblivisci, earum imagines removet, quod tamen ut ante diximus, non semper aeque feliciter illi cedit. Recordamur autem alicujus rei, cum mens beneficio spirituum animalium vestigia & meatus in cerebro existentes reserat, & imagines in illis latitantes iterum prodire jubet. Ubi si spiritus animales non statim in veram imaginem, quam mens nostra quaerit, incidunt, porro ad omnia rerum impressarum, & cum illa, quae quaeritur, convenientiam quandam habentium, vestigia excutientia eos determinat, donec tandem vera imago producat. Conveniunt haec ferè cum illis, quae nobis hoc negotio reliquit Cartesius in Pass. anim. Part. I. Art. 42. ubi sequentia leguntur. Sic cum anima vult recordari alicujus rei, haec voluntas efficit ut glans, (intelligit glandulam pinealem, in qua ille sedem animae statuit, ita ut in illa immediate functiones suas exequatur, uti videre est l. c. art. 31. 32.) sese inclinans successive horsum & illorsum impellat spiritus ad varias partes cerebri, usque dum invenerit eam, in qua sunt vestigia, quae reliquit objectum, cujus volumus recordari, nam illa vestigia nihil aliud sunt, quam quod pori cerebri, per quos spiritus antea coeperunt suum cursum, propter praesentiam hujus objecti, acquisiverunt eo pacto, facilitatem majorem quam alii sese rursus aperiendi eodemque modo spiritus qui ad se veniunt; Adeo, ut hi spiritus reperientes illos poros, eos facilius subeant, quam alios: quae ratione excitant motum specialem in glande, quae representat anima idem objectum, & ipsi indicat, idem illud esse, cujus recordari volebat.

§. XX.

Uti haecenus vidimus absolvitur officium memoriae accurate loquendo quintuplici praecipue functione (1) Facultate species corporum sensibus oblatis recondendi, quod



quod est officium intellectus activum, (2) receptione specierum & idearum recondendarum, quod ad memoriam corporalem pertinet, (3) revocatione harum specierum, quod itidem ad actionem intellectus refertur. (4) Perceptione seu sensatione idearum revocatarum, quæ est passio intellectus. (5) Consideratione seu attenta inspectione revocatarum harum imaginum in eo ordine ac connexione, quo sensibus repræsentatæ sunt. Donec inter has imagines seu animi picturas & objecta, à quibus profectæ sunt, exactam deprehendimus harmoniam, quæ est actio propria intellectus. Ubi hæc omnia requisita non adsunt, ibi neque memoria integra & proprie dicta adesse potest.

§. XXI.

Sed in illa, quam hæctenus de memoria exposui, doctrina, adversarium sentio Bohnum aliosque quam plurimos. Ita enim Bohnius in Circulo Anatom. Physiol. progymnasm. 28. pag. 439. *An bina ejus munera, quæ in recondendis & depromendis denuo speciebus consistunt actionum, an passionum mercantur nomen pariter disputant, nescio, annon rationi conformius videatur Zarabella assertum, quod memorie vim cognoscendi denegat, ut ut cognitioni revera inserviat: ut memoria recipere ac retinere videatur non instar manus comprehendentis, sed instar cere, quæ sigilli figuram impressum, aut loculi quæ numerum admittit atque servat; id est, non recondat, sed ab alio recondita teneat seu custodiat. Neque altera memoria pars, i. e. specierum redditio & velut depositi restitutio, multum activitatis involvit, quatenus quæ passive recipiunt, i. e. sibi aliquid imponi & imprimi patiuntur, passive quoque eadem retribuunt, i. e. pariter ac cista thessaurum reddit, dum manus depositum illum inde repetit.* Miror sane Bohnum, acuti cætera ingenii virum,

virum,



virum, huic Zarabellæ sententiæ subscribere potuisse, cum illa non exhauriat memoriam corporalem seu bestialem, multo minus humanam. Nam observamus etiam in brutis vim recondendi & depromendi impressas rerum species, quamvis alio modo quam in hominibus, & ista duo munera involvunt omnino actionem. Unde patet, quam angustis limitibus circumscribit memoriam humanam, dum præcipua ejus requisita in §. 20. delineata ab illa proscribit, retento saltem secundo, cum tamen omnes, quos hætenus inspicere licuit, Philosophi fateantur memoriam esse certam animæ facultatem; omnis autem facultas est potentia, omnis potentia involvit actionem, alias non esset potentia. Porro si est potentia animæ, & hæc ad memoriam concurrere debet, quam tamen ab illa excludit Bohnius, ut taceam inconvenientiam similitudinis, quam hic desumfit à cera, impressionem figilli recipientem & cista, quam thessaurum passive reddere ait, cum manus depositum illud repetit.

§. XXII.

Jam ad considerationem phantasiæ memet converto. Hujus officium est, per compositionem & divisionem idearum, per sensum communem vel memoriam impressarum novam sibi imaginem effingere, eamque ad futuros applicare usus. Quapropter circa res, præcipuè futuras, versatur, & sic futurum respicit, tanquam scopum & finem. Unde patet omnem nostram meditationem de rebus futuris, quatenus hæc versatur circa singularia esse opus phantasiæ. Hanc ita describit Bohnius pag. 437. *Imaginatio vero seu phantasia sensui communi contradistincta aut secunda communiter dicitur inter sensus inter-*

MOS



nos ille q̄di species sensibiles presentes à sensu communi perceptas  
 q̄vas sensatas vocant aut absentes, i. e. insensatas & à se formatas  
 diutius retinet, diligentius examinat, easq̄ve componit aut dividit.  
 Ab aliis vero idearum corporum absentium tantum tanq̄vam præ-  
 sentium q̄valia hæc sunt, dicitur representatio & cum aliis combi-  
 natio, atq̄ ab iisdem secretio: Ita ut à sensu communi in hoc discre-  
 pet imaginatio, q̄vod sub actibus illius presentia tantum ac sensoris  
 exposita objecta sistuntur, in hac vero, absentium saltim idea quasi  
 recogantur, & instar presentium representantur. In genera-  
 liori autem significatu imaginationem accipit Cartesius  
 quando medit. 2. p. m. 11. dicit: Nihil aliud est imaginari,  
 q̄vam rei corporeæ figuram seu imaginem contemplari. Ibi sub  
 imaginatione comprehendit omnes sensus internos  
 cum omnes, uti supra diximus, cum imaginibus ludunt.

§. XXIII.

Inter imaginationem vero strictè dictam, q̄væ hujus  
 est loci, & reliquos sensus internos, hæc præcipuè inter-  
 cedit differentia, q̄vod hi quodammodo dici possint  
 necessarii, cum aliter ideas objectorum intueri non pos-  
 sint, q̄vam eo, q̄vo sese obtulerunt modo; phantasia  
 vero, certo respectu libera dici possit, cum q̄vascunq̄ve  
 ideas novas pro lubitu fingere possit, etiam tales, q̄væ  
 non existunt, nec existere possunt in rerum natura.  
 Sic potest homo Hippo-Centaurum imaginari, aureum  
 montem, multaq̄ve alia, q̄væ q̄vamvis, q̄va totum,  
 nusquam reperiantur in natura, per partes tamen exi-  
 stere sensibusq̄ve oblata esse debent.

§. XXIV.

Circa imaginationem, præter operationem animæ  
 in efformandis novis ideis hoc in primis observo, q̄vod  
 certa corporis sanguinisq̄ve dispositio ad ejus prompti-  
 tudini-

D

tudi-



tudinem multum tribuat, ita ut qui magnam præ cæteris spirituum animalium copiam possident, feliciori etiam imaginatione præ cæteris polleant. Quapropter, varias res novas adinvenire non tantum, sed & de illis aliisque rebus cum applausu differere, imo cum magna parrhesia nugari possunt, materiam ex tempore, suggerente phantasia, quæ spiritibus animalibus repleta animæ occasionem subministrat, varias ac diversas rerum species effingendi quod imprimis observatur in Gallis. Quod autem phantasiæ excellentia, à notabili spirituum animalium copia dependeat, exinde clare constare arbitror, quod observemus in illis, qui temperamento melancholico gaudent, quibusque ideo ob minorem copiam horum spirituum pressis quasi ora quiescunt lingvis; si largiori vino fruuntur, ex cujus partibus subtilioribus in glandulosa cerebri substantia, copiose generantur spiritus, illico omnia quasi lingvæ claustra referari, prodireque facundiam oris juxta proverbium: *Quando bibo vinum, loquitur mea lingua latinum.*

§. XXV.

Naturalis phantasiæ seu imaginationis vis maxime requiritur in *Oratoribus* atque *Poëtis*, qui diversissimarum sæpius rerum repræsentatione, veluti pictura locorum, animos hominum pascere, variisque successibus, rerum vicissitudines depingendo, oppositos sæpe affectus miscere, & sic variarum imaginibus rerum animos auditorum & lectorum suspensos tenendo mirum in modum oblectare student, quod etiam bono cum successu facere possunt, si accedente ad naturam arte, eosdem affectus, quos in auditoribus excitare cupiunt, ipsi prius apte induere sciant. Cujus modum solide ac per-

eru-



erudite exposuit nostri temporis Theologus consummatissimus & Orator incomparabilis, Magnificus Academiae nostrae Pro-Cancellarius, in Collegio Homiletico.

§. XXVI.

Ad phantasiam, non tantum talis dispositio sanguinis & organorum requiritur, quæ agiles spiritus in majori copia suppeditare potest, uti modo ostendimus §. 24. sed & hic quædam animæ activitas cernitur, quemadmodum in reliquis sensationis speciebus. (1) In evocandis, producendis, sibiq; sistendis ideis antea per sensus exhibitis, quod in prima nostra Disputatione non tam cogitationis quam potius animæ agentis effectum esse diximus (2) in his ideis ita dividendis ac componendis, ut tertia eaque nova exinde fabricari possit in quo intellectus præcipue officium suum exerit: Quæ de re audiendus omnino est Dn. Buddeus Ethic. cap. 2. Sect. 2. §. 6. 7. *Active autem mens in imaginando se habet, cum imagines intra cerebri tenuissima filamenta custoditas, visederis, quod inter corpus & animam intercedit, & ex cujus lege ad certos motus mentis certi motus corporis sequuntur, ope spirituum animalium, iterum prodire jubet, easque attentius contemplatur.* Hactenus quidem phantasia auxilium aliquod quodammodo mutuatur à memoria, quæ vero sequuntur ad proprium phantasiæ officium spectant. *Quia non tantum mens nostra juxta illos hasce imagines in cerebro existat, contemplatur, sed eas etiam componere inter se atque dividere potest, idque opera spirituum animalium, quorum diverso fluxui id unice tribuendum esse, naturæ consultis est observatum.*

§. XXVII.

Diximus supra §. 22. phantasiam versari præcipue



circa futura, quod tamen non absolute & exclusive intelligi volumus, quum etiam aliquando circa præterita & præsentia occupetur, ut cum ex descriptione alicujus, certam rei descriptæ nobis formamus ideam. e. g. *comædia, civitatis, hominis, musica, certi odoris, saporis, &c.* Hic phantasia aliquid mutuatur ex memoria, aliquid ex sensu communi. Ex memoria depromit ideas rerum similiarum per quas describitur objectum absens, quas deinde componit & dividit, donec sensu communi sistere potest objectum ab altero delineatum absens, tanquam præsens. Sed hæc repræsentatio rerum absentium in phantasia, raro vel nunquam accurate secundum omnes numeros respondet objectis absentibus, sed pro variis rerum circumstantiis aliquando propius accedit ad similitudinem objecti, ita, ut cum postmodum sensibus objicitur, recte dignoscatur & ab aliis rebus circumstantibus secernatur. Aliquando iterum idea ex descriptione formata, tantum divertit à similitudine archetypi, ut quando illud deinceps oculis reliquisve sensibus fruimur, nulla ratione agnosci possit, ut deinde agnoscamus ideam conceptam admodum erroneam fuisse. Cujus rei triplex dari potest ratio (1) Quod descriptio sæpius manca sit & imperfecta, ita ut præcipuum criterium, quo res illa ab aliis dignosci debet, omittatur. Nam in describendis rebus absentibus unusquisque id præcipue suis depingere annititur coloribus, quod pro dispositione suarum inclinationum pro præcipuo in illis agnoscit. Sic in describenda magnificentia aulæ alicujus Principis, Avarus ad rerum pretiositatem maxime attendit, Voluptuosus jucunditatem exprimere allaborat, Ambitiosus pompam & majestatem deprædicare studet.



Studet. (2) Quod defectus quidam quoque observetur in descriptionem accipiente, dum vel ad illud, quod formale objecti descripti est, non attendit, itidem propter impedimentum passionum suarum, vel intermissam attentionem, vel propter tarditatem ingenii, qua ideas, ex quibus componere debet imaginem rei repræsentatæ, recte & accurate conjungere ac secernere nequit. (3) Quod etiam in omnibus fere rebus aliquid inveniamus quod sibi quasi proprium vendicant, quodque ideo propria quidem experientia sentiri, sed nullis plane verbis aliis describi potest, sed est aliquid *je ne scai quod* uti dicere solent Galli. Sic quamvis infinitæ fere sint hominum facies, pro miraculo tamen habetur si duæ inveniantur, quæ accurata similitudine se invicem exscribunt, quamvis tamen attentum speculatorem fugere non possit aliqua discrepantia. Sic etiam ex descriptione faciei & lineamentorum alicujus, nemo tam exactam concipere potest hominis alicujus ideam, ut illum deinceps ex pluribus dignoscat, non enim possumus aliis describere, quod ipsi in facie ejus observamus. Ita quoque possumus ex incessu aliquem, cum quo per aliquod tempus familiariter viximus, cognoscere, sed quod ipsi in ejus incessu percipimus auditu, aliis communicare nequimus: Et hæc quoque causa est, quod quamvis in rebus quibusdam ex sollicita alicujus delineatione, objectum indigitatum deinde cognoscamus semper tamen, cum ad sensus pervenit, aliquid offendam, quod non exhaust idea concepta. Si hujus rei causam quæras, in promptu ratio est; omnis enim descripto fieri debet per res similes antea notas, quia autem ineffabilis ista rerum proprietas cuique rei ita fit propria, ut cum nulla alia vel



admodum paucis & ideo ignotis communis sit, mirum non est, quod describi nequeat.

§. XXVIII.

Intelligis jam cur phantasia præcipue circa futura versari diximus supra, nimirum quod hæc de qua in §. præcedenti egimus phantasia admodum fallax sit, & ideo phantasmata quæ sibi fingit, valde obscura, incerta & sæpissime falsa sunt; imaginatio autem, quam quis sibi format de rebus futuris, e.g. de comœdia instruenda, &c. Semper accurata ac infallibilis sit, hæc præ illa potiores sibi vendicat partes, in primis cum hæc quoque majorem nobis præstet usum in vita civili e.g. in architectura tam civili quam militari, in ceremoniis adornandis, aliisque rebus quam plurimis; denominatio vero semper fieri solet à potiori.

*SECTIO POSTERIOR.*

De

*Voluntate.*

§. I.

**A**ltera animæ facultas est VOLUNTAS, quæ uti intellectus versatur circa verum & falsum, ita hæc circa bonum & malum appetendum & respuendum. Est itaque voluntas, concupiscentia, amor, desiderium, uniendi se cum objecto amabili, etiam in aversatione mali, cum ejus contrarium appetimus, etiam tum cum propositis duobus malis, minimum eligimus, nam semper minus malum intuitu majoris mali, induit naturam boni: sicut vicissim ex duobus bonis, minus bonum respectu majoris induit naturam mali in electione. Hinc  
sua



sua sponde sequitur, quod Voluntas semper pro objecto habeat bonum futurum nunquam præteritum vel præsens. Postquam enim bono potita est, non active amplius, sed passive se habet, acquiescendo in bono præsentis, quapropter etiam Moralistæ docent, gaudium & tristitiam, quatenus sumuntur pro sensatione boni & mali præsentis non esse affectus, si vero sumantur pro spe continuandi gaudium vel liberationis à malo, quia tum futurum respiciunt, omnino esse affectus. Sedes namque affectuum est Voluntas, quod observandum est contra *Cartesium* qui in *passionibus animæ* eos collocavit in intellectu, contra omne jus & fas.

§. II.

Porro sicut potentia animæ ratiocinandi maxime sese exerit in cerebro, & quidem in illa cerebri parte, quæ ab anatomicis dicitur cerebrum proprie dictum, uti variis rationibus docuit *Willisus*, & cum illo *Philippus Verbeijen* in *Anatomia corporis humani* tr. 4. c. 7. p. 336. seqq. Ita potentia animæ volendi in corde se exerit, cujus illam esse conatum experientia docet, quo ipso tamen animam non divido, nec duplicem ipsi sedem assigno, sed pro diversitate organorum diversis in locis, diversas instituire operationes statuo. De genuina enim animæ sede in corpore humano nihil prorsus certi scio, hoc tantum à posteriori intelligo, quod arctissimo fœdere cum corpore unita sit. An vero tota sit in toto, & tota in qualibet ejus parte, uti nonnulli statuunt, an in certæ ac determinatæ alicui cerebri parti magis quam ceteris sit alligata, uti sentire videtur *Cartesius*, qui *passion. Part. I. art. 31.* eam in glandula Pineali speciales suas functiones exercere statuit; an vero in corde, uti iterum alii putant,  
an



an denique in abdomine ut credit Helmontius, ego quidem ignoro, parum quoque de hac re sum sollicitus, cum videam modum conjunctionis animæ cum corpore, humanæ industriæ esse impervestigabilem, ita ut nos plane fugiat, cur & quomodo uni corporis parti magis & melius quam alteri alligari potuerit substantia omnis materiæ expers.

§. III.

Diximus voluntatem esse conatum cordis, ad rem amatam, tanquam finem obtinendam. Hic vero diligenter distingvendus est ipse conatus, à sensatione ejusdem quæ pertinet ad intellectum quemadmodum e. g. sensatio doloris in vulnere, non est ipsum vulnus vel dolor; ita quamvis in omni conatu voluntatis adsit ejusdem sensatio, & de eodem cogitatio, non tamen voluntas est ipsa cogitatio, neque hæc ad illam pertinet. Dicitur vero hic conatus voluntas ideo, quod semper conjunctus sit cum ratiocinatione intellectus, ad distinctionem appetitus sensitivi in brutis. Nec tamen duo isti actus diversarum potentiarum sunt confundendi, quamvis, cum sint facultates unius ejusdemque animæ, una non possit esse sine altera.

§. IV.

Si hoc bene notemus, facile evitabimus errorem illorum qui sine judicio, judicium tribuunt voluntati, docentque intellectum esse tantum potentiam passivam, cujus vis tantum cernitur in perceptione rerum. In hac opinione ut alios jam taceam versatur *Braunius*, qui in *doctr. fæderum* Vol. 1. part. 1. cap. 14. §. 3. ita suam hoc in negotio explicat mentem: *Ad intellectum quidam nil referrè*



referri potest, præter solam perceptionem rerum, ut is dicatur intelligere, quæ rem nude percipit non autem examinat, utrum res sit vera an falsa, adeoq; nec judicat, nec rem amat, nec odit, nec appetit, nec fugit. Est igitur actus intellectus simplicior, quam actus voluntatis, nam cum actus intellectus consistat in nude perceptione rei, voluntas judicat, iudicium suspendit, amat, odit, vult, non vult, affirmat, negat. Ecce quam angustis limitibus potentiam intellectus circumscribit *Braunius*. Si ideo putat officium intellectus esse merè passivum & consistere tantum in intelligendo & percipiendo, quia denominationem habet ab intelligendo, valde errat *Braunius*, cum significatio verbi non semper circumscribenda sit derivatione etymologica, quæ de re consuli potest *Vossius in Lexico Etymologico*. Porro *Braunio* lubens largior, quod velle examinare utrum res aliqua sit vera vel falsa dependeat à voluntate, quatenus hæc determinat intellectum ad considerationem rei propositæ; at ipsum examen & rei dijudicatio, non est actio voluntatis, sicut e. g. si adsit machina aliqua artificiose fabricata, illam, ita disponere ut incipiat operari dependet ab homine, ipsa vero operatio, ex qua certus sequitur effectus non est actio hominis, sed machinæ; confundit itaque *Braunius* duos actus in se distinctos. Deniq; observare debuisset *Braunius* disparem esse rationem iudicii & amoris vel odii, quæ ideo non coniungenda essent in una voluntate. Judicare est varias ideas similes inter se comparare & dissimiles ab invicem separare, & deniq; pronunciare hoc esse verum, istud falsum, hæc omnino alia est actio, quam appetere & respicere, quod fit in amore & odio. Si enim formaliter consi-

E

deren-



derentur hi actus: *comparare, separare, intelligere*, ac per-  
consequens *pronunciare* unum esse verum, alterum fal-  
sum, nullum profecto sub se comprehendunt actum,  
qui *velle* præsupponit.

§. V.

His ita expositis facile erit respondere ad V. ejus rati-  
ones quas in §. sequenti 4. pro confirmanda sua sententia  
adducit (1) inquit *intellectus se habet mere passive* (*sape enim*  
*percipit, res, quas voluntas vellet intellectum non percepisse;*  
*uti si fur intelligat sententiam*) & *quia determinatur perci-*  
*piendores prout illa ei se representant, sed voluntas determinat*  
*& agit, ergo & judicat, nam judicare est determinare, adeo-*  
*que agere.* Respondeo (1) quod intellectus se mere  
passive habeat, est falsum auctoris præsuppositum,  
quod superiori §. destruximus. Intellectum percipere  
res, quas voluntas vellet illum non percepisse, arguit  
faltem intellectum aliquando habere se passive, sed  
hoc non impedit quo minus se etiam sæpius active ha-  
beat, cum positio unius non sit exclusio alterius. (2)  
Fallit & fallitur auctor noster, quando determinare,  
agere & judicare pro synonymis habet. Potest qui-  
dem intellectus à voluntate aliquando determinari ad  
judicandum, ceu §. super: ostendimus, sed tamen  
ista determinatio, quamvis est actio, non tamen est  
judicatio. (2) *Intellectus respicit tantum ideas rerum, sed*  
*voluntas aliquid superaddit, judicando de rei veritate, falsi-*  
*tate, bonitate, malitia.* Resp. esset hæc argumentatio  
vera, si prius solide evictum fuisset, intellectum esse  
mere passivum. (3) *Judicium non potest fieri sine electione*  
*veri & boni, & reprobatione falsi & mali, sed omnis electio &*  
*repro-*



*reprobatio fit libere, ergo ad voluntatem referenda est, cum libertas sit in voluntate.* Resp. si hoc verum esset, quod iudicium fieri non posset sine electione, homines semper illud, quod iudicant esse bonum & verum, eligerent, cui sententiæ tamen tota die reclamant experientia, juxta tritum: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Clarius & rectius quoque loquutus fuisset auctor, si dixisset: iudicium veri & boni, falsi & mali, sequitur ejusdem electio & reprobatio, illud pertinet ad intellectum, hæc ad voluntatem, cujus hic actio sequitur actionem intellectus. Si hic per electionem veri & boni & reprobationum falsi & mali intelligat illorum agnitionem, quam sequitur affirmatio & negatio, quæ est proprius effectus & consequens iudicii, nego hanc boni & mali, veri & falsi cognitionem esse liberam, sed omnino necessariam, ita ut iudicium seu intellectus cui inest, non possit aliter iudicare, quam iudicat. Sic postquam certis demonstrationibus intellexeram, quod in omni triangulo rectangulo, quadratum hypotenusæ æquale sit quadratis laterum, non possum non iudicare, id verum esse. Sed si iudicium esset actio voluntatis, quia huic libertatem concedit Auctor, posset quoque voluntas libere iudicare. e. g. quadratum lateris minimi æquale esse quadratis reliquorum, omnes tres angulos trianguli æquare tribus rectis, bis tria esse decem &c. Sed si voluntas juxta Braunium pro ea qua pollet libertate, ita iudicaret, reclamaret intellectus, qui negaret, hoc esse verum, adeoque nec credi posse, nec debere, unde aliquando etiam intel-



lectus affirmat & negat quod negavit Braunius §. 3.  
 (4) *Qui potest iudicium suspendere, aut qui potest non iudicare, is etiam potest iudicare, sed sola voluntas potest iudicium suspendere. ergo & ea iudicat.* Crassa admodum hæc mihi videtur Braunii philosophia. Quis unquam crederet quod qui certam aliquam actionem suspendere ac impedire potest, is quoque semper eandem exerceat. Potest auriga motum currus suspendere, currum tamen ipse non movet. Potest etiam voluntas per locomotivam palpebrarum suspendere ac impedire actionem visus, sed tamen ipsa non videt, sed oculus. Sic etiam potest aliquando suspendere iudicium, quamvis non ipsa possideat potentiam iudicandi. (5) *Intellectus se habet in mente, ut testis tantum, qui rem nude narrat, sed voluntas tanquam iudex qui examinat & iudicat, utrum res sit vera vel falsa, bona vel mala.* Egregie sibi hic contradicit NOSTER supra dixit, intellectum se habere mere passive, hic ait illum tanquam testem narrare, quod omnino est agere. Reliqua quæ in hoc argumento habet, fundantur in erroneis hypothesibus hic destructis, quapropter huic amplius immorari labori, non lubet.

§. VI.

Egregie itaque & perquam sobrie philosophatur hac de re Celeberrimum hujus Academiae decus & Ornamentum, Excellentissimus Dominus Professor THEODORUS HORN, Patronus noster æternum devenerandus in *positionibus suis miscellaneis ex Philosophia rationali*. §. VIII. cujus verba ideo hic inferi merentur. *Principium inquit ac subjectum iudicii est intellectus, seu mens,*



*mens, secus, atque docent secundum ipsum Cartesium princip. part. 1. §. XXXII. Regn. & Mansuelt. l. c. part. 2. c. 1. Qv. 9. p. 114. & Qv. 15. p. 116. Anton. le Grand. log. act. III. p. 25. Rbegenius l. c. cap. XX. §. 7. seqq. Joh. Norris, in consid. rat. & fidei, prout ad Myster. Christianae Relig. referuntur. vid. act. Erud. Lips. Anno 1697. p. 443. Michael Angelus Fardella in specim. emend. dialect. P. III. de iudicio, ubi & Malebranchium reprehendit, cui intellectus facultas mere passiva. Schweltingius exercit. cathed. c. 11. §. VII. Joh. Sperlette log. Nov. part. III. Sect. VI. qvi a voluntate vel omnino, vel ab intellectu & voluntate proficisci contendunt. certe iudicium nihil aliud est, quam ea mentis operatio qua apprehensionem suam refert ad rem conceptam, siquide dijudicat num illa rei conceptae confirmis sit vel non; unde porro consensus vel dissensus compositio vel divisio, affirmatio vel negatio oritur. Talis autem operatio inepte voluntati tribuitur.*

§. VII.

Inter intellectum & voluntatem hæc communiter constitui solet differentia, quod ille sit potentia necessaria hæc vero libera, quam quidem doctrinam non improbamus; sed quia vulgo minus recte capi solet, hic explicare volumus qualis libertas & in quantum, voluntati tribui possit. Si literas in strictissima sua significatione sumatur pro tali potentia quæ habet se indifferenter ad opposita, voluntati libertatem denegat unanimis moralistarum doctrina, qua docent voluntatem non ferri in malum, sed semper & necessario appetere bonum quod ipsi nimirum ita videtur, siue verum siue apparens. Illud vero quod ita necessario fertur in unum, ut impossibiliter possit velle



alterum & ipsi oppositum, neutiqvam dici potest habere libertatem talem, quam definivimus modo. Nec ulla talis libertas in electione locum habet, quod facile cuivis constabit, modo perpendat, quid sit electio, scilicet est hæc nihil aliud quam consideratio, quodnam ex duobus propositis bonis & malis maximum vel minimum sit. Nam quia voluntas semper fertur in maximum bonum & minimum malum, attente prius inquirat in differentiam objectorum propositorum, ut inveniat maximum bonum & minimum malum. Si enim electurus perfecte sciverit objecta proposita, non tantum ratione qualitatis, sed & ratione quantitatis, secundum numerum, mensuram & pondus exactissime æqualia esse. Nullam prorsus institueret electionem, sed primum quodque obvium tolleret. Verum si per libertatem intelligatur immunitas à coactione & spontaneitas, qua homo cum singulari animi delectatione fertur in objectum, quamvis in contrarium ferri non possit; tum omnino voluntati tribuimus libertatem.

§. VIII.

De mutua intellectus & voluntatis ad se invicem habitudine, multum hodie, inter Theologos pariter ac Philosophos disputatur. Status quæstionis eo redit, *utrum intellectus præcedat voluntatem, an vero voluntas intellectum in cognitione boni & mali, & quanam facultas in hoc puncto ab altera dependet?* Sunt qui voluntati hic primas deferunt, sequenti præcipue inducti argumento: Sicut verum & falsum est objectum intellectus, ita bonum & ma-



& malum est objectum voluntatis, unde (juxta illos) sequitur intellectum per se nescire quid sit bonum & malum, qui ideo hoc discere debet ex dispositione voluntatis, quæ ideo intellectus cognitionem in hoc passu præcedere debet. Verum quia hæc sententia pro fundamento ponit perceptionem rei gratæ & ingratae, pertinere ad voluntatem nos clarissimo eam argumento vindicabimus intellectui, & sic theses nostræ veritas clare sibi constabit, quæ statuimus intellectum præcedere voluntatem.

§. IX.

Quotidiana nos edocet experientia, quod quando intellectus vel seriis ac profundis meditationibus defixus, vel discursui alicui sedulo intentus est, cesset omnis reliquarum rerum sensus etiam fortissime pulsantium perceptio. Talis homo apertis oculis nihil videt, edit ac bibit sine perceptione saporis, inter resonantes fabricorum ictus, crebro repetitos, surdus est. Unde quæso hoc nisi quod intellectus majoris momenti rebus intentus jam percipere non possit? nisi admodum sensibiliter ab impulsu objectorum per sensus admoneatur. Si perceptio pertineret ad voluntatem, quare toties renitente voluntate percipimus res, quas nos non percepisse malleamus? Hanc nobiscum sententiam fovit HIPPOCRATES, PLATO, ARISTOTELES aliique, quorum verba supra allegavimus. Qui plura in hac quæstione desiderat argumenta evolvat Excellentissimi Theologi DN. D. FECHTII Disput. quam vocat *Examen Libelli, Licht und Recht.*  
It.



It. SEBASTIANI EZARDI Erörterung der Frage / ob die wahre Besserung vom Verstande oder vom Willen angehe.

§. X.

Voluntatis directioni subest potissimum potentia corporis locomotiva, quam quidam immediate ab anima produci contendunt, prout faciunt aliqui, qui Philosophiam spiritualem sectantur, quam alias vocare solent Mosaicam, de qua vid. Dn. Buddei introductio ad Histor. Philos. hebr. In illa quoque sententia est Celeberrimus Hallensium Medicus D. GEORG. ERNESTUS STAHL, cujus verba hæc sunt in tr. de Mechanismi & Organismi diversitate p. 34. *Anima quantumcumque ut in se & absolute estimari possunt ejus actiones, est ens triplici intuitu ad res materiales tractandas quasi destinatum. (1) Generalissime est ens activum, nihilo vero certius quam materia passivum adeoque ad rō activum relata hac sui indole destinatum. (2) Generaliter est ens movens qui omnes ejus, etiam vere proprie & ipsi omnimodo ut in abstracto competentes actiones (non solum eo ordine quo in corpore & per corpus fiunt, sed ut quolibet intuitu in se & per se consideratae sunt) generice sunt motus nempe progressus de re ad rem, quo intuitu Aristoteles, cogitationem humane anime deambulationem esse descripsit. (3) Specialissime ut ens intelligens, &c. Conf. Ejusdem tr. de vero diversitate corporis mixti & vivi. Alii potentiam locomotivam ita diversam esse ab anima docent, ut ab illa non dependeat tanquam à causa efficiente, sed à voluntate tanquam à causa dirigente, ipsum vero motum in corpore peragi, mediante sanguine & spiritibus animalibus*

libus



libus, in musculos influentibus, & mechanica organorum structura. Confer. *Connor. Evang. Medici. art. 2. pag. m. 16.* Voluntatem vero dicunt esse hujus motus arbitrum, eumque ita dirigere, ut auriga equum. Eligas quamcunque libuerit sententiam, ipsum tamen motum & quomodo hic producat, sive immediate ab anima, sive mediantibus spiritibus animalibus intelligere nunquam poteris. Nescimus enim quid sit motus, uti recte observavit STURMIUS in *Philos. Elect. de obscuritat. simpl. §. 3. 4. 5.* Summus enim Aristoteles, trutinando cacumina rerum, quidquid in orbe fuit, in duo divisit, in substantiam & accidens. Ad neutrum horum referri potest motus. Non est substantia, quia hæc est ens per se subsistens, motus vero per se nunquam subsistit, nec concipi potest extra corpus motum. Neque est accidens, nam accidentis est inesse, & quidem ita, ut non possit migrari è subjecto in subjectum, motus autem quolibet momento migrat ex corpore in corpus. Scio equidem, quod aliqui, quia nullam in creaturis inveniant causam motus, ad causam omnium primam recurrant, doceantque DEUM immediate movere omnia corpora, ceteras vero causas secundas esse tantum causas occasionales quibus positus DEUM ajunt movere secundum certas leges motus in natura sancitas, ad evitandam confusionem. Hæc est opinio BERNHARDI CONNOR in *Evang. Medici. art. 5. pag. m. 33.* ubi hæc leguntur verba: *DEUS est immediata effectuum omnium causa, ac proinde materia, materia figura ac moles, quæ vulgo naturales seu causa secunda vocantur vera non sunt cause,*  

F sed



sed tantum passiva, apta tamen instrumenta & occasiones, quæ summum opificem ad producendos quibus destinata sunt effectus determinat, uti lutum cæcis oculis applicatum non est causa, sed tantum occasio, cur cæcitatibus causa à supremo luminis auctore collatur. Huic quoque sententiæ subscribere video Sturmium in Philos. Eleit. de Obscurit. simpl. §. 26. 27. ubi etiam §. 29. seqq. respondet ad objectiones, quæ contra hypothesein ejus formari possunt. Verum quia & hæc doctrina uti mihi saltem videtur etiam suis laborat difficultatibus & obscuritatibus an & quatenus intelligi vel tolerari possit, à sapientioribus lubenter informari vellem. Ego interea ingenue fateor, nescire me, quid sit motus, cui omnes effectus rerum naturalium debentur. Si itaque quispiam certum & clarum de illo mihi communicare potuerit ac voluerit conceptum, omnibus grati animi signis beneficium compensare studebo.

## TANTUM.

Atque sic meditationibus nostris de ANIMA Colophonem imponimus, quamvis multa adhuc addi possent quæ forsitan in secundis curis supplebimus in primis, si, intellexerimus uti rumor spargitur quæmpiam in alia aliqua musarum sede inveniri cui hæc nostra philosophandi methodus displicet, cui quidem dissentiens licentiam lubentissime concedimus, rogamus tamen velit potius rationibus contra nos pugnare quam inani verborum strepitu, labore nostro maculam malitiose inurere, & sic ad ulteriorem mensis nostre declarationem nos habebit promptissimos.